



LATIN NYELVŰ LAP A TANULÓ IFJÚSÁG SZÁMÁRA

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Pretium praesolvendi annum 4 pengő 80 fillér.

Megjelenik Budapesten, I. Verpeléti-út 22. tízszer egy éven. Előfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.

In omnem terram . . .

Rerum¹ Christianarum¹ arbiter¹: Pius XI. sedem² civitatis Vaticanae radiophonicam² nono anniversario coronationis die praesens dedicavit. Qua occasione pontifex maximus per aetheris undas ad omnes suos fideles locutus est. Summi pastoris vox³ ubique in toto orbe terrarum suspensis⁴ auscultabatur⁴ auribus⁴ dictaque eius fidamente; memori corde⁵ recondebantur.⁵

Vox summi¹ religionis¹ antistitis¹ haec erat:

Ad universam creaturam.

Qui arcano Dei consilio succedimus in loco Principis Apostolorum, eorum nempe quorum doctrina et praedicatio iussu divino ad omnes gentes et ad omnem creaturam (*Matth. 28. 19; Marc. 16. 15*) destinata est, et qui primi in loco ipso mira sane ope Marconiana uti frui possumus, ad omnia et ad omnes primo Nos convertimus atque, hic et infra Sacro⁶

Textu⁶ iuvante⁶ dicimus: Audite caeli quae loquor, audiat terra verba oris mei. (*Cant. Moys. Deuter. 32. 1.*) Audite haec omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem, simul in unum dives et pauper. (*Ps. 48. 1.*) Audite insulae et attendite populi de longe. (*Is. 49. 1.*)

Ad Deum.

Sitque primum verbum Nostrum: Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. (*Luc. 2. 14.*) Gloria scilicet Deo, qui dedit, in diebus nostris, potestatem talem hominibus (*Matth. 9. 8.*), ut vere in fines orbis terrae verba eorum pertingant⁷ (*Ps. 18. 5; Rom. 10. 18*); et in terra pax, ubi pro Illo divino Redemptore Iesu legatione⁸ fungimur (*2. Cor. 5. 20*), qui veniens evangelizavit pacem, pacem iis qui longe et pacem iis qui prope (*Eph. 2. 17*), pacificans in sanguine crucis suae sive quae in terris sive quae in caelis sunt. (*Col. 1. 20.*)

¹ pápa ² rádióállomás ³ szózat
⁴feszült figyelemmel hallgat ⁵ szivébe zár ⁶ a Szentírás nyomán,
szavaival ⁷ eljut ⁸ küldetés,



Per.
Lat
020



Ad catholicos.

Nobis autem ad homines Nos convertentibus praecipit Apostolus, ut operemur⁹ bonum⁹ ad omnes, maxime autem ad domesticos¹⁰ fidei.¹⁰ (*Gal. 6. 10.*) Iuvat igitur Nos istos omnes imprimis alloqui, eos nempe, qui, utpote in dominicam familiam et in dominicum ovile Catholicae Ecclesiae recepti et viventes, Nos dulci Patris nomine compellant sacros Pastores et fideles, oves et agnos, quos omnes pascendos et regendos Nobis concredidit Pastor et Rex omnium Christus. (*Io. 21. 15; Matth. 16. 19.*)

Ad hierarchiam.

Vos inquimus conlatales Nostros S. R. E.¹¹ Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Praelatos et Sacerdotes per diversos hierarchiae gradus sollicitudinum Nostrarum quotidianarum obiecta praecipua, eosdemque laborum participes et adiutores.

Rogamus et obsecramus, ut unusquisque in qua vocatione¹² vocatus est, in ea permaneat (*1. Cor. 7. 20.*), et ut digne ambuletis¹³ vocatione qua votati estis (*Eph. 4. 1.*): pacite qui in vobis est gregem Dei, forma facti gregis ex animo (*1. Petr. 5. 2.*), ut cum apparuerit Princeps pastorum percipiatis immarcescibilem¹⁴ gloriae coronam. (*1. Petr. 5. 3.*) Interim autem Deus pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovum in sanguine testamenti aeterni Dominum Nostrum Iesum Christum, aptet¹⁵ vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se per Iesum Christum. (*Hebr. 13. 20.*)

Ad religiosos.

Nunc vos alloquinur filii et filiae praedilectionis Nostrae, qui quaeve charismata¹⁶ meliora aemulantes¹⁷ (*1. Cor. 12. 31.*) atque infide sanctissimorum votorum et in religiosa disciplina totius vitae nedum praeceptis sed et desideriis consiliisque divini Regis et Sponsi obsecundantes,¹⁸ Ecclesiam Dei virginneo odore fragrantem¹⁹ facitis, contemplationibus²⁰ illustratis,²¹ orationibus fulcitis,²² scientia et doctrina ditatis,²³ ministerio verbi et apostolatus operibus in dies percolitis²⁴ et augetis. Igitur vere caelestis et angelicae voca-

tionis participes (*Hebr. 3. 1.*), quanto praetiosiorem thesaurum gestatis tanto diligentiores adhibeatis custodiam, non solum ut certam vestram vocationem et electionem²⁵ faciatis (*2. Petr. 1. 10.*), verum etiam ut in vobis, tamquam in servis apprime²⁶ fidelibus et devotis, cor Regis et Sponsi consolationem et reparationem aliquam inveniat pro infinitis offenditionibus²⁷ et negligentias²⁸ quibus homines ineffabilem Eius dilectionem rependunt.²⁹

Ad missionarios.

Iam os Nostrum patet ad vos (*2. Cor. 6. 11.*) filii et filiae in Christo carissimi, qui in missionibus orantes laboratis ad propagandam sanctam Christi fidem et Eius Regnum dilatandum.³⁰ Sicuti Apostoli ecclesiarum primi, ita et vos: in periculis, in multa patientia, in necessitatibus et tribulationibus³¹ (*2. Cor. 1. 10; 6. 4.*) spectaculum³² facti (*Hebr. 10. 33.*); sicuti illi, ita et vos «gloria Christi» (*2. Cor. 8. 23.*); vos qui in laboribus, saepe etiam in vinculis et in sanguine vestro usque ad mortem certantes³³ bonum et magnum certamen fidei et passionis (*1. Tim. 6. 12; 2. Tim. 4. 7; Hebr. 10. 32.*) atque bonam confessionem confitentes, animas lucrifacitis³⁴ et futurorum Christianorum semina semi-natis. Salvete strenui milites Christi! Sed et sacerdotes indigenas ac bonos cathechistas, praecipuos fructus eosdemque participes laborum vestrorum salvere iubemus.

Ad fideles universos.

Cor Nostrum dilatatum³⁵ est ad vos (*2. Cor. 6. 11.*) quotquot estis Urbis episcopalis Nostrae et universi Orbis fideles; praesertim autem ad vos, qui in laicatu constituti Nobiscum et cum venerabilibus fratribus Nostris Episcopis cumque Sacerdotibus in apostolatu laboratis, sicuti credentes primi, viri ac mulieres laborabant, quas propterea Apostolus commendat. (*Phil. 4. 3.*) Vos Dei po-

⁹ jót cselekszik ¹⁰ hitfeleinkkel ¹¹ Sacrae Romanae Ecclesiae ¹² hivatás ¹³ eljár ¹⁴ el nem hervadó ¹⁵ készségesse tesz ¹⁶ adományok ¹⁷ töreksszik ¹⁸ kedvében jár ¹⁹ illatozik ²⁰ szemlélődés ²¹ megvilágít ²² támogat ²³ gazdagít ²⁴ csinosít, ²⁵ kiválasztás ²⁶ kiváltképpen ²⁷ sértés ²⁸ elhanyagolás ²⁹ viszonz ³⁰ terjeszt ³¹ veszély ³² látvány ³³ harcol ³⁴ nyer ³⁵ = patet.

pulus et oves pascuae eius (*Ps. 99. 3*), vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.³⁶ (*1. Petr. 2. 9*.) Igitur modestia vestra nota sit omnibus hominibus et quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate et facite (*Phil. 4. 5. 8*), ut in omnibus honorificetur³⁷ Deus. (*1. Petr. 4. 11*.)

Ad infideles et dissidentes.

Ad vos etiam cogitatio nostra et oratio Nostra convertitur qui a fide et unitate Christi adhuc abestis. Pro vobis enim quotidie offerimus preces et hostias Deo et Domino omnium, enixe³⁸ petentes ut luce sua vos illuminet et vos ad oves quae vocem eius audiunt adducat et adiungat, et fiat unum ovile et unus Pastor. (*Jo. 10. 16*.)

Iis qui praesunt.

Cum autem omnibus debitores simus, ideo imprimis iis qui praesunt dicimus ut in iustitia et caritate praesint, in aedificationem et non in destructionem (*2 Cor. 10. 8*), semper memores non esse potestatem nisi a Deo (*Rom. 13. 1*) et Deo se rationem in iudicio durissimo reddituros. (*Sap. 6. 6*.)

Iis qui subsunt.

Iis autem qui subsunt dicimus ut non tamquam hominibus sed tamquam Deo oboedientes sint, scientes quod qui resistit potestati Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt ipsis sibi damnationem acquirunt. (*Rom. 13. 2*.)

Divitibus.

Similiter divitibus et pauperibus dicimus. Divitibus quidem ut se tamquam ministros divinae Providentiae et honorum eius depositarios³⁹ et dispensatores⁴⁰ existiment, quibus pauperes ipse Christus Jesus commendavit et a quibus divinus Iudex plus repetet quia plura habuerunt (*Luc. 12. 48*), divini verbi nunquam obliti: vae vobis divitibus! (*Luc. 6. 24*.)

Pauperibus.

Pauperes autem enixe in Domino hortamur ut ad paupertatem Iesu Christi Domini et

Salvatoris respiciant, atque exemplorum ac promissionum Eius memores spiritualium divitarum faciliorem ipsis acquisitionem ne negligant; et etiam ad meliorem statum, prout eos licet, enitentes, bono et recto corde commendent se Deo et non extendant ad iniquitatem manum suam. (*Ps. 124. 3*.)

Operariis et datoribus operum.

Operarios et datores operum enixe rogamus, ut non hostili aemulatione et certamine, sed amico et fraterno foedere iuncti, hinc copias et directionem illinc operam et industriam conferentes, quod iustum est quaerentes, quod iustum est dantes, proprium quorumque et commune simul bonum in tranquillitate ordinis operentur.

Afflictis etc.

Ultimum in executione⁴¹ sed primum in intentione⁴² et in affectu⁴³ cordis, ad vos venit verbum Nostrum, qui in infirmitatibus et doloribus, in aerumnis et tribulationibus estis, maxime qui talia ab inimicis Dei et humanae consortium⁴⁴ patimini.

Orationes Nostras et auxilia pro posse nostra offerentes atque omnium caritati vos commendantes, in persona, quam gerimus, Christi vobis dicimus: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam⁴⁵ vos. (*Matth. 11. 28*.)

Restat ut Urbi et Orbi, atque omnibus in eis habitantibus benedictionem Apostolicam impertiamus,⁴⁶ quod et facimus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

(*Osserv. Romano.*)

³⁶ hozzágyűjtés (a már meglevőhöz) ³⁷ tisztelet
³⁸ buzgó ³⁹ letéteményes ⁴⁰ sáfar ⁴¹ elvégzés
⁴² figyelem, szándék ⁴³ vonzalom ⁴⁴ közösségi ⁴⁵ felüdit ⁴⁶ oszt.

EXEMPLA CLARORUM VIRORUM

Cum M. Cato Murenam consulem saltasse accusavisset, Cicero: «Nemo fere — inquit — saltat sobrius, nisi forte insanit, neque in solitudine neque in convivio modesto atque honesto.»


Cicero.

Amasis, rex Aegyptiorum, lege sanxit, ut singuli cives quoptannis ad provinciarum praefectos accederent. Ibi si quis probare non poterat se exercere artem aliquam certam et

honestam, tamquam civis humanae societati perniciosus, morte afficiebatur. *Herodotus.*

Zeno adolescenti, qui inepta loquebatur: «Idcirco — inquit — aures habemus duas et os unum, ut plura audiamus, loquamur pauca.» Idem, cum a legatis regis Ptolemaei interrogatus esset, quid de se regi renuntiari vellet: «Renuntiate — inquit — senem a vobis esse visum Athenis, qui inter pocula silentium servare sciat.» *Diog. Laert.*

Diog. Laert.



LECTORIBUS MINIMIS.

Canis vetulus.¹

Aliquando homo quidam habebat canem yetulum, qui iam os² mandere³ non poterat.

— Coniux⁴ — ait vir uxori,⁵ — ego canem
telo⁶ conficiam,⁶ quia iam os mandere non
potest, neque eum carne tolerabo.⁷

— Ne occidas — roga uxori. — Si os mandare non potest, at bene latrat et fures a domo deterret.⁸

— Tamen ego eum occidam — asseverat⁹ vir.

Canis sermonem heri audit et maestus in silvam exit. Ut ambulat, occurrit¹⁰ lupus.

— Quid tristis es?¹¹ — interrogat lupus.
— Quid ego ni¹² tristis sim, cum herus me

meus occidere velit?
— Habe bonum animum¹³ — inquit lupus,

— ego te iuvabo. Reconciliabo¹⁴ tibi herum,
parcet¹⁵ vitae tuae. Sed postea agnum mihi
dabis.

Postquam canis agnum promisit, pergit¹⁶ lupus :

— Mane¹⁷ hic mecum in silva. Si herus
tuus cum uxore et infante¹⁸ hoc venerit
operatum,¹⁹ ego surabor²⁰ infantem tibique
tradam. Tu eum reportabis.²¹ Herus te tuus
iterum redamabit²² neque telo conficiet.

Profecto²³ ita factum est. Paucis diebus post venit vir cum uxore et infante. Infantem ponunt sub virgultis²⁴ et ad operam aggre-

diuntur.²⁵ Tum lupus furtim²⁶ ad virgulta
arrepit,²⁷ infantem arripit, currit ad oram²⁸
silvae, ubi canis opperiebatur.²⁹

Vir et uxor animadvertunt infantem amis-
sum esse. Flentes, lamentantes hic illuc
discurrunt, clamitant nomen infantis. Subito
venit canis infantem portans. Exinde canis
in maximo honore fuit: carne, farcimine³⁰
vescebatur, in lecto pulvinato³¹ dormitabat.

Quadam nocte venit lupus, ut agnum promissum accipiat. Sed canis, qui hero detrimentum³² inferre³² nolebat, vehementer latrare coepit. Lupus in silvam recurrens clamat:

— Cessa³³ latrare, canis. Veni in silvam,
talos³⁴ tibi suffringam !³⁵

Aliquando canis negotium³⁶ in silva habuit.³⁶ Sed quia solus ire non audet, prius amicitiam cum clauda³⁷ fele coniungit atque ita in silvam ire incipiunt.

Tum ipsum ibi lupus cum apro ambulabat.
Iam procul vident canem, sed exputare³⁸ non
possunt, quid secum haberet: caudam felis
gladium esse putant.

Lupus et aper timere incipiunt. Lupus celeriter arborem ascendit, aper in foveam³⁹ se recipit,⁴⁰ ita ut nasus⁴¹ exstaret.⁴²

Cum canis et feles advenissent, nasum apri conspiciunt.

— Hic certe mus est — inquit feles et
ungues⁴³ in nasum apri immittit.⁴⁴

— Vae, vae! — eiulat⁴⁵ aper — ne me
attingatis!⁴⁶ Ego nemini nocui, sons⁴⁷ in
arbore est.

Feles mittit⁴⁸ nasum apri. Aper timidus aufugit. Canis et feles irati in arborem suspiciunt.⁴⁹ Tum demum⁵⁰ vidit lupus, quibuscum sibi res⁵¹ esset.⁵¹

Rubore perfusus⁵² descendit et in gratiam⁵³
cum cane redit.⁵³ V. Fehér.

V. Fehér.

1 vén 2 csont 3 rág 4 feleség 5 feleség 6 meglő
7 tart 8 elriaszt 9 erősködik 10 szembejő 11 mi bajod?
12 quidni=miért ne? 13 ne búsulj 14 kibékít 15 meg-
hagy 16 folytat 17 maradj 18 kis gyerek 19 dolgozni
20 ellop 21 visszavisz 22 megszeret 23 csakugyan 24 bo-
kor 25 hozzáfog 26 lopva 27 odakúszik 28 szél 29 vára-
kozik 30 kolbász 31 paplanos 32 megkárosít 33 hadd
abba 34 boka 35 letör 36 dolga akad 37 sánta 38 ki-
talál 39 gödör 40 behúzódik 41 orr 42 kiáll 43 karom
44 belevág 45 jajgat 46 ne bántsatok! 47 bűnös 48 el-
ereszt 49 felnéz 50 csak akkor 51 dolga van 52 elszé-
gyelve magát 53 kibékül.

MYTHOLOGICA

Bellerophon.

Bellerophon filius erat Glauci, regis Corinthorum. Iuvenis in regia Proeti, regis Argivorum, ab huius uxore Sthenoboea adamatus, mulieris amorem repudiavit.¹ Qua re illa indignata eum apud virum falso accusavit. Qui tamen iuvenem domi interimere² nolens cum litteris eum ad Iobatem, sacerum suum misit, a quo Bellerophon necaretur. Iobates iuvenem contra Chimaeram horrendam, flammas ore vomentem, quae mediis in partibus hircum,³ pectus et ora leae,⁴ caudam serpentis habebat, in certamen misit certo eum interitum esse ratus: nemo enim sine vitae periculo



ferae appropinquare potuit. Sed dei insonti succurrerunt miseruntque ei auxilio Pegasum, equum alatum.⁵ Minerva edocuit iuvenem, quo modo equi⁶ terga⁶ premeret.⁶ Bellerophon equum conscendit et in aere volans sagittis flammivomum peremit.

Iobates virtutem iuvenis admiratus eum iterum atque iterum labores difficiles suscipere iussit, sed Bellerophon e certaminibus semper victor evasit. Tum rex ei filiam cum regni sui parte in matrimonium dedit. Heroi tamen fortuna magna exitio⁷ erat. Aliquando enim equum in caelum volaturus ascendit,

quam ob audaciam Iuppiter ira commotus Chimaerae domitorem fulmine percussit.

¹ elutasít ² elpusztít ³ keeskebak ⁴ nőstény oroszlán ⁵ szárnyas ⁶ megüli a lovát ⁷ vesztére.

Colloquium.

Michael Stephanum amicum in eius domo invisi.

Pulsavitne quis? Intra!..... Tu Michaël noster optatissimus veneris.

Putabam te impeditum ne venires eo, quod ultra tuam horam moratus es.

Mi.: Honori debo meo me stare promissis; moram indulge. Veni serius qui modo in area¹ glaciali¹ cursitarim.

St.: Cedo epitogium² et petasum!

Mi.: Praepriniis habeto perspicilia³ utpote quae isto calore cubiculi turbida fiant. Ea linteo sis absterge!

St.: Sede huc carissime! quid novi refers?

Mi.: Gelidum lavacrum⁴ accidit Andraeae nostro.

St.: Lavacrum gelidum? quid sibi vult hoc?

Mi.: Ille nobiscum simul callopediis⁵ vehe-

batur, cum repente quodam loco crustā⁶ fracta, ille potissimum aquis demersus est usque ad medium.

St.: Pro dolor! statimne opem tulistis?

Mi.: Videlicet illico extractum domum remisisimus.

St.: Quidni misellum vestris humeris deportasti?

Mi.: Tum vero frigore riguisset. Potius ipsi misero currendum erat, ne misero miserabilior evaderet.

St.: Profecto et tu alges, qui de campo gelido veneris.

Mi.: Inimo vix non sudo; ibi enim cursitabam, nunc quoque properando calefactus sum.

St.: At cursitando certe famem⁷ obsona-

¹ jégpálya ² felöltő ³ szemüveg ⁴ fürdő ⁵ korcsolya
⁶ jég ⁷ megéhezik.

baris.⁷ Quare manduca,⁸ sodes, merendulam;⁹ similae¹⁰ cum butyro¹¹ suppetunt, vel si mavis, frustula¹² petasonis.¹³

Mi.: Certo uterer tua humanitate; sed iam non est mihi tempus, vesperascit enim, nec utique prae tenebris viam cernerem, si tardius redirem.

St.: Nihil refert, commodo¹⁴ tibi lucernam¹⁵ electricam¹⁵ portatilem.¹⁵

Mi.: Bene! Et parentes hora sexta me domo receptum esse volunt; fastidii¹⁶ evitandi causa morem geram.

St.: Quodsi ita sentis, ego non te impedi-
rim; gaudeo equidem te venisse; alia vice
maturius ades, quo plura colloqui possimus.
Vale!

Mi.: Cura et tu valetudinem, mi Stephane,
ut rursus te sanum offendam.

St.: Iterum vale! J. H. Salzburgii.

⁸ eszik ⁹ vacsora ¹⁰ zsemlye ¹¹ vaj ¹² falat ¹³ sonka
¹⁴ rendelkezésére bocsát ¹⁵ villamos zseblámpa
¹⁶ nehezelés.



Ante diem VI. Calendas Martias alumni Scholarum Piarum per orbem terrarum intimo animo recordabantur de Glycerio Landriani, cuius res nunc in Urbe in¹ quaestione¹ versatur,¹ qua prospere finita ille beatorum² ordinibus² adscribatur.²

Glycerius Landriani inter primos operis³ socios³ Sancti Josephi Calasanctii erat. Mediolani est ortus (a. 1588.) parentibus nobilissimis cognatusque Sancto Čarlo de Borromeorum familia erat. Iam puer a parentibus magna pietate⁴ erga Deum imbuebatur.⁵ Bononiae magistris philosophiae iurisque magnam dabat operam, mox Romam se contulit ad theologiam descendam. Sedulum⁶ bonaque⁷ indole⁷ praeditum⁷ iuvenem Paulus V. Pontifex⁸ Maximus⁸ summa cura et diligentia adiuvabat. Anno 1612. familiaritatem⁹

cum S. Iosepho Calasanctio coniunxit⁹ eiusque ordini brevi accessit.¹⁰ Sex annis fungebatur Glycerius Landriani munere professorio una cum «Sancto Patre», fundatore Ordinis Scholarum Piarum eumque auxiliatus est, ut iuvenibus, quorum frequentia in dies augebatur, nova sedes domiciliuumque constitui posset. Quae domus Sancti Pantaleonis etiam nunc sedes et caput Scholarum Piarum est.

Glycerius Landriani annum tricesimum aetatis suae agens obiit. Erant in eo multae et magnae virtutes: constantia, patientia, caritas erga Deum et proximos,¹¹ imprimis autem maxima humilitas.

Iuvenes Scholarum Piarum hac die precibus intimis precabantur Deum, ut eventum¹² quaestionis prosperum redderet. —8—



Edmundus Jakab, poeta noster clarissimus, prid. Non. Mart. 77 annos natus vita cessit. Vir, quem omnis Hungaria luget, in poesi sua rationem¹³ gentis¹³ plane propriam¹³ secutus maximam sibi acquisivit gloriam. Ex operibus eius notissima sunt epyllia:¹⁴ Szilágyi és Hajmási, Árgyrus et liber carminum, cui «Flores autumnales» titulum inscripsit. *

Ladislaus Négyesy, investigator litterarum Hungaricarum clarissimus, magister universitatis scientiarum Budapestinensis, nuperime annum aetatis septuagesimum implevit. Qua occasione magna multitudo sociorum, cultorum et discipulorum in museo Hungarico, ubi vir doctissimus etiam nunc iuvenili vigore res suas obit,¹⁵ sollemniter eum consalutabant omniaque fausta ac felicia a Deo omnipotenti ei expetebant. Quibus piis precibus ac votis etiam Iuventus nostra se

¹ vizsgálat alatt áll ² boldoggá avat ³ munkatárs ⁴ vallásosság ⁵ eltölt ⁶ szorgalmat ⁷ nagy tehetségű ⁸ pápa ⁹ megismerkedik ¹⁰ belép ¹¹ felebarát ¹² sikeres ¹³ nemzeti irány ¹⁴ kis eposz ¹⁵ teljesít.



libens adiungit et ex intimo corde precatur Deum, ut viri optimi vitam, patriae nostrae tam pretiosam gratamque ad multos annos proroget.



Arpadus Lamprich aëronauta Hungaricus, qui biplani sui tentandi causa in area oppiduli Mátyásföld priore mense subvolavit, postquam apud pagum Pilisvörösvár in altitudinem 3200 metrorum enectus est, motore¹ deficiente¹ devolare cogebatur. Machinā fractā aëronauta e periculo incolumis evasit.

Novissima artis aëronauticae machina militaris Londinii nuperrime ad tentandum obllata est, quae artem belli in aëre gerendi plane subvertere videtur. Machina velocitate incredibili in altitudinem tollitur atque instructa est 6 sclopetis² machinae² similibus,² quae aëronauta ipse dirigere simulque 8 pyrobolos,³ (singuli autem duodena chilogrammata pondo⁴ valent),⁴ demittere potest. Experimentum spe melius successit.

¹ motorhiba ² géppuska ³ bomba ⁴ nyom.

Claudii.

Ad fabulam Ernesti Eckstein Latine scripsit
Valentinus Fehér.

VII. *Salvus sit¹ imperator Nerva!*

Interea coniurati Rodumnae rebus inter se compositis statuerunt non iam differre tempus liberandae rei publicae, praecipue cum Clodianus, legatus Augusti, milites praetorianos ad causam coniuratorum perduxisset.

*

Iam sol occiderat et orbis eius sanguineus in mare Tyrrhenum delapsus erat.² Capitolum et columnae amphitheatri colore purpureo ardebant, crepusculum³ in plateas descendebat.

Dum Romae multa milia helluonum⁴ una cum verno⁵ aëre suavissimo dulce venenum voluptatis imbibunt,⁶ sex magnae naves ab Igilio velocissime appropinquabant. Tertia hora ante medium noctem naves Alsii in portu consistunt, tres militum cohortes ex iis escendent, omnes viri delecti, validi, truculenti.⁷ Militibus praeerat propraetor Lugdunensis,⁸ cum eo veniebat C. Aurelius Menapius. Propraetor cum una parte copiarum in Cassia via Romam petebat, reliqui coniurati a Luna⁹ et Pisa cum parvo comitatu Romam contendebant, ut in foro Cassio se propraetori adiungerent.

Cum iam dilucesceret, cohortes dimidiā partem itineris, quod erat inter Alsium et urbem, confecerant.

Ad mille fere ab urbe passus obviam eis venerunt Clodianus et Parthenius, praefectus purpuratis.¹⁰ Quoniam vero Clodianus iam prius res omnes prospexerat, cohortes ludibundae¹¹ per portam ad montem Ianiculum intrant.

*

Interea Quintus et Cornelia noctem habebant terribilem. Cornelia maxime defessa et mente et corpore fatigatis in angulum se receperat. Iam erat ei persuasum Domitianum Quinto veniam non esse daturum. — Quinto laetitiā primae victoriae dilapsā¹² desperatio¹³ rerum¹³ in animum irrepserat.¹⁴ Febru somniisque cruciatus ne precari quidem poterat. Demum obdormivit.

Ex hoc sonno nomine compellatus exterretur. Ante eum stabat Aurelius cum octo militibus.

— Quinte! — clamat brachia porrigens.¹⁵ — Cur me, quasi larvam,¹⁶ intueris? Aurelius fert yobis libertatem.

— Cai! — balbutit Quintus. — Tēne hic? loquere, quid factum sit?

¹ éjlen! ² belehull ³ esti szürkület ⁴ korhely ⁵ tavasz ⁶ beszív ⁷ marcona ⁸ Lyon ⁹ Carrara ¹⁰ főkamarás ¹¹ akadály nélkül ¹² eloszlók ¹³ kétségebesés ¹⁴ befeszkelődik ¹⁵ kitár ¹⁶ kísértet.

Quod in iuventute non congregasti, in senectute non invenies.

*

Vigilare addecet, qui sua vult tempore confidere officia. *(Plautus.)*



IOCOSA.

Iudex ad reum: Quia testibus productis non potest probari¹ te esse furatum gemmam, licet abeas impune.

Reus: Itaque gemma nunc mea est?

*

Decurio rogat tironem: Scisne, fili, quis praefectus centuriae sit?

— Centurio.

— Et quis est sub illo?

— Equus!


*

Quidam peregrinus ad puerum, qui eum per totam arcem comitabatur:

— Nunc iam omnia vidi, mi fili, tantum animam vagantem, per quam huic loco nobilitatis³ fama data est, non mihi adhuc ostendisti.

Puer: Illam, mi domine, non potes videre, quia nuper deorsum per gradus praecepitavit⁴ pedemque fregit. *Alexander Skripecz*.

1 bizonjít 2 ujonec 3 nevezetesség 4 leesik.



a	a	a	b	c	c
d	d	e	e	e	e
e	e	e	e	e	e
e	i	i	i	i	i
i	l	l	m	m	m
n	n	n	o	o	p
p	r	r	r	r	s
s	s	s	s	t	u
u	u	x	x	x	y

pater Pirithoi

Stygiae sorores

Bacchi mater

Latmius venator

cognomen Apollinis

fluvius Hispaniae

Dario genitus

Daedaleus puer

vallis Thessaliae

Vocabulorum litterae primae dictum notissimum dabunt.

Budapestini, ex officina consortii Stephanei. — Rector: F. Kohl.

Solutiones aenigmatum numeri V.

I. Currus, ara, pinus, ira, discus, Sunium, Tethys, quia, columbae, ergo, echo, olor, unda, turdus. — *Versus Ovidii*: Cura pii dis sunt et qui coluere, coluntur. — II. Vita nostra brevis est, brevi finietur.

Aenigmata numeri V. recte dissolverunt:
Carolus Kossitzky (Veszprém), *Martha Telbisz* (Budapest), *Lad. Pichler* (Pécs), *Andr. Vincze*, *Tib. Zöhls*, *Georgia Szilvássy* (Budapest), *Iul. Vattamány* (Pécs), *Paulus Kürthy* (Ujpest), *Geiza Riedl* (Budapest), *Lor. Kesztyüs* (Debrecen), *Barabbas Korányi*, *Ioann. B. Toldy-Ösz* (Budapest), *Helena Bánhegyi*, *Adrienne Fister*, *Helena Világhy* (Sopron), *Ioannes Horváth* (Pécs), *Eug. Réczei*, *Andr. György*, *Marianna Renner*, *Edith Lehmann* (Budapest), *Thom. Matyiásovszky* (Pécs), *Tib. Kecskés* (Veszprém), *Iud. Kosáry*, *Piroska Paulinyi*, *Theod. Endréyi*, *Petrus Hauser* (Budapest), *Rud. Orbán*, *Norb. Karg* (Pécs), *Steph. Wohryzka*, *Edith Balogh* (Budapest), *Franc. Szabó* (Veszprém), *Helena Kaluza* (Budapest).

Praemium Tiburtio Zöhls adiudicatum est.

Epistolalia Officialia.

Carmen ad Vergilium: Rem proposuisti tibi sane magnam, cum modis tam difficilibus laudes Vergili canere conatus es. Cetera quoque quae misisti carmina, mensuram non aequant, quia verba ad numeros alligare non contigit tibi. Tu perge, quem ad modum adhuc feceras, soluta oratione scribere. — *Ladislaus Pichler*: Fac mittas textum, unde narrationem convertistis. Historiam e XII. libro Annalium Taciti sumpsisse videris (cc. 33–38.), sed quod in fine narrationis scribis, nusquam indagare potui. (Nisi forte narrationem secutus es *Zonarae*, qui illud Caractaci in XI. libro Annalium memorat.) — *Franciscus Szabó*: Laudo studium tuum. Sed quod misisti, notissimum est omnibus discipulis; ignosce igitur, si tuum seposuero, quamquam rem bene descripsisti. — *M. Renner*: Aenigma oblata occasione edetur. — *J. Kosáry*: Quod misisti, aenigma, pulchre delineasti, tamen non videtur aptum, quod edi possit. — *L. et I. Krcsmárik*: Salse dicta, quae misistis, prodibunt, sed patientiam oro, dum publicari possint. — *E. Förő*: Aenigma tuum longiusculum est, itaque vix tempus constituere possum, quo id edere queam.

Moderator ephemericis: EUGENIUS FRAY DR.

Budapest, I., Verpeléti-út 22., ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praes: STEPHANUS ACSAY DR., elnök.)